TOELKEN

Toelken

DE





# PHIDIAE JOVE OLYMPIO OBSERVATIONES

QUARUM HANC PARTEM PRIOREM

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

PRO FACULTATE LEGENDI

DIE XIX. MARTII

PUBLICE DEFENDET

ERN. HENR. TOELKEN
BREMANUS
PHILOSOPHIAE DOCTOR.

GOTTINGAE,
TYPIS JOANNIS FRIDERICI RÖWER.
1812.

VIRO ILLUSTRI

# CHRIST. GOTTL. HEYNE

ORDINIS CORONAE WESTPHALICAE EQUITI
ANTIQUITATUM PROFESSORI HUMANITATIS
STUDIORUM IN GERMANIA
RESTAURATORI

SUMME VENERANDO SENI OMNIA MUNIA
JUVENILI VIGORE OBEUNTI

PIA MENTE DICATUM

---

Ὃς ἂν δικαίως καὶ ὁσίως τὸν βίον διαγάγῃ
Γλυκεῖά οἱ καρδίαν ἀτάλλοισα γηροτρόφος συναορεῖ
Ἐλπὶς, ἃ μάλιστα θνατῶν
Πολύστροφον γνώμαν κυβερνᾷ.

*Pindarus* apud *Platonem.* de rep. I.

---

Cum nuper popularium notissimos duos libellos [1]), quibus Pausaniae Jovis Olympii descriptio [2]) illustratur, perlegerem, etsi delectabar eruditione, mirum tamen visum est, viros doctissimos tam parum sibi constare in summo artifice simul et laudando et vituperando. Dum enim, sicuti mos est,

[1]) Völkel über den Tempel und die Statue des Jupiter zu Olympia. Leipz. 1794. 8.

Siebenkees eodem Titulo. Nürnb. 1795. 8.

Praesertim Völkel accuratissime et magna eruditionis copia hanc rem tractavit.

[2]) Exstat illa in periegesi l. V, cap. X, XI et XII. (edit. Facii Tom. II p. 39 seqq.)

Phidiam encomiis extollere non dubitant, id tamen pro rato atque demonstrato ponunt: eum et in magnitudine statuae contra commensum templi peccasse, et in ornatu decorem et simplicitatem servare nescivisse [3]). Rediret igitur laus Phidiae ad Horatianum illud [4]):

*Infelix operis summa, quia ponere totum*
*Nesciit.*

Scio equidem, quod de artium operibus judicetur, pendere ex unius cujusque sensu vel gustu, de Phidia quoque recentiores fere omnes idem propemodum statuisse [5]),

[3]) Völkel p. 127. et alibi. Praesertim autem Siebenkees acerbissime Phidiam carpit, eum penitus caruisse sensu decoris, quem *gustum* vulgo nuncupant. v. e. g. pag. 67. 68.

[4]) Hor. de art. poët. vs. 34.

[5]) de Pauw recherches sur les Grecs t. II. p. 117 seqq. Barthelemy voyage du jeune Anach. Cap. XXXVIII. (t. IV.)

rem tandem esse ludicram, parumque aptam, quae cum supercilio agatur: attamen talis de tanto opere sententia eo minus temeritatis notam effugere posse videbitur, quod non nisi ex veterum laudationibus [6]) id cognoscimus. In quo si forsan nobis quid minus expeditum appareat, num potius Phidiam, quam Pausaniae inconcinnam descriptionem *) in culpa ponemus?

Quatremère de Quincy, aliique multi; inter quos tamen non est WINKELMANN.

*) Vide testimonia Veterum de Phidia, quorum ingentem farraginem congessit Fr. Junius in Catalogo artificum. p. 151—162. et Hemsterhuys ad Luciani Somn. c. 8. "Tot ac tanta certe hujus simulacri encomia passim apud scriptores occurrunt, ut nullius unquam artificis opus majore admirationis horrore spectatorum olim animos perculisse videatur. Quamobrem quoque inter septem miracula mundi relatum est". (Hygin fab. 223) verba Junii. l. c. p. 153.

*) Vidi Wielandi, viri summi, facetissimum ju-

Interea, cum hanc opinionem Cayli potissimum atque Heynii[7]), clarissimorum virorum, auctoritate niti video, hic praemonere liceat, me non jam id agere, ut viris tam insigniter de omni genere doctrinae meritis litem intendam, cum iidem sint, qui primi nobis aditus ad antiquitatis templa recluserint. At sunt praeterea nimium multi, qui, unus alterum excipientes, eadem iisdem fere verbis centies recantando [8]), mirae sagacitatis specimen edidisse se autument, si Phidiam inscitiae artis damnaverint. Inter quos nemo impudentius veterum gloriae detrectavit, etsi mirus eorum

dicium de Pausania. Über die Ideale cet. p. 240. (Werke Tom. XXIV.)

7) V. e. g. Novi Comment. Soc. Gott. Tom. II. p. 108. vel Antiquar. Aufs. St. I. p. 70. Völkel l. l. p. 127. (Boettiger Andeutt. p. 101.)

8) Das hundertfältige Echo der Neueren, ut dicit Böttiger.

cultor videri vellet, quam Falconetus [9]), homo Gallus, acumine et fatuitate [10]) pariter insignis. Qui tamen singularis intelligentiae ostentamina ambiens, se ipse ridicule prodidit. Omnibus enim Graeci scalpelli monumentis popularium suorum, Pugeti et Pigalles, opera praeferebat [11]); quae nemo nunc aspicit.

9) FALCONET sur deux ouvrages de Phidias. oeuvr. tom. V. edit. de Lausanne 1781.

10) Quod fatuitatem hominis attinet, videantur ejus libelli:

Sur un tableau de Timanthe,
Sur la peinture des anciens.
Sur deux peintures de Polygnote.
Sur un petit différend. etc. etc.

et praesertim Injuriae, quas jecit in Mengs. et Winkelmann, Germanos nobiles. Nam optimi cujusque laudi obtrectando gloriolam sibi ille quaerebat.

11) *Puget* et *Pigalle*, de quibus vide catalogos artificum. Falconet sur deux. ouvr. de Phid. p. 108. — Visebatur Potsdamiae (in Villa regia Sans-Souci) Pigalles Mercurius

Haec quamvis leviora sint, tamen omnium veluti cuidam consensui obsistere veritus essem forsitan, nisi jam issent contra viri clarissimi, BOETTIGER et JACOBS. Quorum hic [12]) hominem [13]), qui Phidiae omnem sensum decoris abjudicaverat, illa quaestione Platonis [14]), qua Socrates Hippiam, lepide incessit: Ὦ τετυφωμένε [15]), *num*

ridicula quadam concinnitate laevigatus, quem quo nunc abdiderint nescio. Winkelm. Gesch. l. V. c. 3. §. 26. — Idem loquitur de ejus Venere (Werke Tom. I. von der Grazie p. 261.). Sie ist in einer Empfindung, in welcher ihr das Wasser aus dem Munde, welcher nach Luft zu schnappen scheint, laufen will; denn sie soll vor Begierde schmachtend aussehen. cet.

12) JACOBS Über d. Reichthum der Gr. an plast. Kunstw. (1811. 4.) pag. 33.

13) SIEBENKEESIUM, qui asserere non erubuerat; Daſs der gute Geschmack dem Phidias nie zur Seite gestanden.

14) Plat. Hipp. Maj. p. 23. ed. Bipont. Tom. XI.

15) FICINUS facete vertit: O inflate vir. —

*existimas*, *id quod tu pulcrum dicis*, *ignorasse Phidiam?* BOETTIGER autem[16]) quaerit: Num forsan is, *qui ex ungue leonem dijudicaverit*[17]) (quod admiratio in proverbium divulgavit) *convenientiam partium ignorasse putandus sit?*

Satis vel haec ad gloriam Phidiae vindicandam. Quibus si additur totius antiquitatis consensus, quae statuae, de qua loquimur, inter exquisitissima artium opera primum locum assignabat[18]): nam *Phidiae*

16) Andeutungen zu 24 Vorträgen etc. (Dresd. 1806.) p. 103. in agregia ista expositione hujus statuae, quam veluti normam in hoc libello nobis proposuimus.

17) LUCIANI Hermotimus c. 54. (oper. ed. bip. t. IV. p. 72.) ubi subjungit Scholiastes: ἀπὸ τούτου ἡ παροιμία, ἐξ ὀνύχων ὁ λέων — vel ut alias accurrit: ἐκ τῶν ὀνύχων λέοντα.

18) Vide tantum loca ubi CICERO Phidiae mentionem facit. e. g. Orator. c. 2. *Phidiae simulacris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus* cet. — et paullo post:

*Jovem nemo aemulabatur* [19]): quid fiet istis judiciis? Graeci, hercle, melius paullo quam nos, quid pulcrum et decens dignoscere poterant, cujus rei monumenta amplissimi testes sunt. At non occurrit ne epigramma quidem, quo quis simplicitatem in hoc opere se desiderare dicat.

Verum tamen, si cui vel haec non sufficiant, si quis opinionem quandam sanctitatis vulgatam, universalis istius Graeciae admirationis causam fuisse putet [20]): habemus exemplum, quod omnem dubitationem

*Nec vero ille Artifex, cum faceret Jovis formam, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret: sed ipsius in mente insidebat species puchritudinis eximia quaedam, quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat.* Oper. Tom. II. p. 412.

19) Verba Plinii. Hist. N. l. XXXIV. c. 8. ed. Harduin. Tom. II. p. 649.

20) Ita Völkel, Siebenkees et caeteri plurimi.

funditus evertat. Duraverunt ad nostrum usque tempus in Parthenone Athenarum ornamenta quaedam et sculpturae, quibus metopae epistyliorum condecorabantur [21]). Quae etsi forsan non ab ipso Phidia, tamen eodem tempore et ex ejus mente perfecta sunt. Quibus nihil exquisitius, nihil elegantius et omnibus numeris absolutius videri potest [22]). Quae tanta pul-

21) Omnia, quae adhuc supererant, abstulerat Elgin, Anglus; at tempestas navigia, quibus marmora vehebantur, undis submersit.

22) Haec audivi ab atrifice peritissimo, qui sculpturas ipsas spectaverat, tum patet ex figuris ap. Stuart. antiquit. of Athens tom. II. tabb. X-XXX. et Millin monumens inédits tom. II. tab. IV.

Confer Meursium in Cecropia c. 14. cet.

Spon et Wheler (Voyages d'Italie, de Dalmatie, de Grèce et du Lévant. Lion 1678. tom. II. p. 173.) templum prope illaesum adhuc viderant, quod paullo post (1687) incendio magna ex parte dirutum est. Turcae

critudo; si in sculpturis, quibus exterior templi ambitus ornabatur, exstitit: qualem tum fuisse arbitremur, cum ipse summus artifex, Phidias, in effigie patris Deorum exornanda, excellentiam materiae operis praestantia superavisse credebatur?

Quae cum ita sint, ut amplius iis immorari supervacuum foret, oritur tamen quaestio: Cur tandem Phidias in hacce statua dimensionibus ornamentisque usus sit, quae multis tam inconcinna vel saltem mira videantur? Atque haec est, in qua pro virium modulo disquirenda, versabitur nostra oratio. Non quasi in re, quam conjecturis tantum assequi licet, omnem dubitationem

enim horreum pulveris pyrii ibi collocaverant, quod, cum Venetiani Athenas oppugnarent, illapsa bombarda in flammatum, columnas interiores parietesque dejecit.

Confer: FANELLI Atene Attica. III. p. 308 pp. BÖTTIGER l. l. p. 75. cet.

me sublaturum sperem, vel nova aut recondita allaturum credam. In ipsa potius luce posita sunt omnia, ut unumquemque eadem sensurum esse confidam. Attamen, cum hoc mihi muneris sit, ut scriptum aliquod typis evulgem, officio me functum arbitrabor, si non penitus rudem in artium archaeologia, quam docere professus sum, memet praestitero. Cum autem omnis haec res opinando tantum perfici queat, tota opella fere continuis digressionibus contexenda erit, quae tamen, uti spero, omnes in unum finem concurrent. —

Statim a principio *nobis* duae observationes occurrunt, eaeque maximi momenti. Quarum prima: Graecos, quo tempore aedes cum statua Jovis in Elide poneretur, (ne spinis chronologicis irretiar, satis habeo dicere, initium aedificandi factum esse Olymp. LXXXI, cujus primo anno (ante Chr. n. 455 vel 456) Elei Pisatas bello funditus excide-

rant [23]), e quorum manubiis templum ex-structum *) [24]) tum Graecos nondum id potissimum egisse, ut bellam elegantemque effigiem admirarentur, sed ut ipsam Jovis optimi maximi majestatem, veluti praesentem, adorarent. Vigebat adhuc summa reverentia Numinum mentibus insita, et religionis tradita pro sacrosanctis habebantur. Quod ex historia temporum facile probatu foret [25]), atque patet ex profusione sum-

[23]) Strabo l. VIII. p. 335. Casaubon.

*) Pausan. l. V, 10. Tom. II. p. 39.

[24]) De hac re egregie disputavit V. Ill. Heyne: Über die Kunstepochen des Plinius (Antiquar. Aufsätze erste Samml. p. 201 seqq.) conf. ejusdem: Artium inter Graecos tempora p. 366. (in opusc. acad. tom. V.) Quem postea omnes secuti sunt. Inter quos optime et copiosissime Völkel l. l. p. 11-22 et rursus p. 108-119. Videndus est quoque Corsini fasc. Att. p. II. t. I. p. 216 seqq. qui ab Heynio dissentit.

[25]) Nihil sine oraculo agebatur; de qua re vi-

tus, quo tum omnes deorum imagines effingebantur [26]). Non tam in opere artificem, quam in similitudine Deum requirebant; idque erat, quod Phidias efficiendum susceperat. Quod quid intersit, facile apparet, quamvis id verbis assequi, minus in expedito sit. Comparemus interea, quae de effectu hujus alteriusque signi celebratissimi commemorantur; dico Venerem Praxi-

de Herodotum et Plutarchum innumeris locis; etiam Thucydidem. — Diog. Laert. de Epimenide in vitis philos. l. I. (p. 77. ed. Casaub. 1615. in 8.) Cicero de divinat. l. I. 1. (oper. ed. bip. tom. XI. p. 175.) *Quod bellum susceptum a Graecis sine consilio deorum est?*

26) Aesculapius Epidauri ex auro et ebore, Juno Mycenis ex auro et ebore, Minerva Athenis et aliae innumerae; de quibus vide Pausaniam et Heyne Erläut. üb. d. Kunstwerke aus Elfenb. Antiq. Aufs. 2. Samml. p. 166. Martini ad Ernesti archaeol. p. 177 seq. Winkelmann storia. I, p. 27. ibique Fea.

telis, qui 80 fere annis post Phidiam floruit [27]).

Lucianus (vel quisquis alius auctor est) in isto libello, qui Amores inscribitur [28]), juvenes duos in templum Veneris Cnidiae deducit. Quanta admiratio pulcritudinis! stupent, torpent, insaniunt, vox faucibus haeret, osculis immo appetunt [29]). Ὡς εὐεπίγραφοι τῶν γλουτῶν αἱ σάρκες! πῶς ἀμφιλαφεῖς αἱ λαγόνες! τῶν δὲ τοῖς ἰσχίοις ἐνεσφραγισμένων τύπων ὡς ἡδὺς ὁ γέλως [30])! De religione nihil quaeritur; admiratio in ipsum artificem tota redundat. At cum

[27]) Ol. CIV.; ut Plinius tradit. H. N. l. XXXIV, 8. 19.

[28]) In ed. oper. Luciani bipont. Tom. V.

[29]) L. l. p. 270. ὁ Χαρικλῆς ἐμμανές τι ἐμβοήσας — καὶ ἅμα προσδραμὼν, λιπαροῖς τοῖς χείλεσιν, ἐφ' ὅσον ἦν δυνατὸν ἐκτείνων τὸν αὐχένα, κατεφίλει.

[30]) Ibid. p. 271.

Paulus Aemilius, summus imperator [31]), Olympiam ascendisset, ingressus templum, ut narrat Livius [32]), *Jovem velut praesentem intuens, motus animo est, et sacrificium amplius solito adparari jussit.* Fuit igitur in hoc opere, praeter pulcritudinem, majus aliquid atque divinum, quod animos intuentium non tantum in admirationem artificis raperet, sed ad ipsum Dei numen elevaret. Quod idem confirmat Quintilianus, dicendo [33]), *Phidiam meliorem Diis quam hominibus efficiendis fuisse artificem, cujus operum majestas etiam receptae religioni aliquid adjecisse videatur.* Hoc autem casu, vel sumtu, vel opinione, non artificio evenisse, neminem fore puto, cui in mentem temere veniat.

[31]) Persen, Philippi fil. noth., Macedoniae regem, bello devicerat.

[32]) Liv. l. XLV, 28.

[33]) Quint. de Inst. orat. l. XII. c. 10.

Cum his arcte cohaerent, quae loco secundo hic apponam. Phidiam nimirum majestatem illam divinam non tantum magnitudine effigiei et sumtuositate materiarum (ebeni, eboris et auri [34])) sed symbolica quoque pompa, qua circumfundebatur, assecutum esse. Ita ut hoc egregium opus, non solum immensitate oculos perculeret, sed mentem ipsam, velut scriptura quaedam pulcherrimis notis expressa, alloqueretur. Hinc tantae Victoriae, quae thronum Dei circumsistebant, quarum una, ex ipsius dextra se erigens, aeterno capiti vittas praebebat [35]). Hinc illae Horarum et Gratiarum choreae [36]), ceterusque omnis

[34]) Etiam gnmmis. Paus. l. l. p. 44. χρυσῷ καὶ λίθοις, ἐβένῳ τε καὶ ἐλέφαντι

[35]) Signum quoque Minervae in Acropoli Athenarum arte Phidiae ex ebore et auro perfectum Victoriam dextra sustinebat. Paus. I, 24. Arrian. dissertat. Epictet. II, 8. 20.

[36]) Signum Appollinis in insula Delo, artis vetustissimae, sinistra manu Gratias sustine-

ornatus; cujus infra rationem reddere conabimur. Hic praemonuisse satis est, non solius Jovis effigiem, sed totum ferme Olympum in hoc opere fuisse effictum, ut patris regisque Deorum, praesidis certaminum, victoriaeque dispensatoris summa auctoritas inde magis elucesceret. Sciant autem, qui simplicitatem laudantes hic de nimio ornatu conqueruntur, eam non esse sitam in unitate vel numero. Non omnibus eadem est lex, neque Jupiter Olympius pollice emetiendus, vel cum sigillo comparandus. Elegidion non sequitur legem carminis heroici; neque Pindarus ideo rejicitur, quod non dulcedine et lepore Anacreontis animum demulceat.

His praemonitis, cum viam mihi munLverim, veniamus jam ad propositum, et rationem reddere conemur, qua arte Phi-

bat, quarum una tibias, altera syringa, media lyram gerebat. Winkelm. Allegor. (Werke ed. Dresd. Tom. II. p. 495.)

dias illam commotionem mentis excitaverit, qua summi Jovis imaginem adspici par erat. Subnascitur autem suspicio, id magnam partem ab iisdem, ut perhibent, erroribus provenisse, qui tam acriter reprehenduntur. *Primo* igitur videamus de proportione statuae cum magnitudine templi; *deinde* de ornatu, quo Dei effigies circumdabatur.

Cum autem prima quaestio tota fere circa optices praecepta versetur, multique dubitent, num veteres hujus usum in artium operibus cognoverint, primum hoc probandum suscipiemus, eos etiam melius quam nos istius rei fuisse peritos. Si non theoria (ut dicunt) [37]) at certe praxi.

[37]) Attamen jam Democritus et Anaxagoras de optica scripserant: *Quemadmodum oporteat ad aciem oculorum — ratione naturali respondere; uti de incerta re certae imagines aedificiorum in scenarum picturis redderent speciem.* (verba *Vitruvii*, ubi aperte sermo est de eo quod nos dicimus *Linear-perspective*). Et

Legitur apud TZETZEN [38]), cum quondam Athenienses signum Minervae in columna praealta erigere vellent, Phidiam cum Alcamene discipulo de hac re iniisse certamen. Fecit Alcamenes signum scrupulosissima arte expolitum, quod omnium oculos admiratione teneret. At Phidiae opus rude videbatur et inconcinnum. Os erat apertum, nares patulae, lineamenta durius expressa; Ita ut populus ira exardescens, Deam ludificari ratus, artifici vim minitaretur. Cum autem Alcamenis signum in altum extolleretur, evanuere elegantiae, et

jam ante eos de eadem re scripserat *Agatharchus, qui primus Athenis, Aeschylo docente tragoediam, scenam fecit.* Vitruv. praef. l. VII. p. 193. ed. Argentor. 1807. In catalogo scriptorum Democriti ap. Diog. Laert. l. IX. in ejus vita (p. 659. ed. Cas. in 8.) occurrunt libri *περὶ χροῶν, de coloribus, περὶ ζωγραφίης, de pictura,* cet.

[38]) TZETZ. Chiliad. VIII, 193. Fr. Junius in cat. art. p. 153.

dias illam commotionem mentis excitaverit, qua summi Jovis imaginem adspici par erat. Subnascitur autem suspicio, id magnam partem ab iisdem, ut perhibent, erroribus provenisse, qui tam acriter reprehenduntur. *Primo* igitur videamus de proportione statuae cum magnitudine templi; *deinde* de ornatu, quo Dei effigies circumdabatur.

Cum autem prima quaestio tota fere circa optices praecepta versetur, multique dubitent, num veteres hujus usum in artium operibus cognoverint, primum hoc probandum suscipiemus, eos etiam melius quam nos istius rei fuisse peritos. Si non theoria (ut dicunt) [37] at certe praxi.

[37]) Attamen jam Democritus et Anaxagoras de optica scripserant: *Quemadmodum oporteat ad aciem oculorum — ratione naturali respondere; uti de incerta re certae imagines aedificiorum in scenarum picturis redderent speciem.* (verba *Vitruvii*, ubi aperte sermo est de eo quod nos dicimus *Linear-perspective*). Et

Legitur apud TZETZEN [38]), cum quondam Athenienses signum Minervae in columna praealta erigere vellent, Phidiam cum Alcamene discipulo de hac re iniisse certamen. Fecit Alcamenes signum scrupulosissima arte expolitum, quod omnium oculos admiratione teneret. At Phidiae opus rude videbatur et inconcinnum. Os erat apertum, nares patulae, lineamenta durius expressa; Ita ut populus ira exardescens, Deam ludificari ratus, artifici vim minitaretur. Cum autem Alcamenis signum in altum extolleretur, evanuere elegantiae, et

jam ante eos de eadem re scripserat *Agatharchus, qui primus Athenis, Aeschylo docente tragoediam, scenam fecit.* Vitruv. praef. l. VII. p. 193. ed. Argentor. 1807. In catalogo scriptorum Democriti ap. Diog. Laert. l. IX. in ejus vita (p. 659. ed. Cas. in 8.) occurrunt libri *περὶ χροῶν, de coloribus, περὶ ζωγραφίης, de pictura,* cet.

38) TZETZ. Chiliad. VIII, 193. Fr. Junius in cat. art. p. 153.

tota effigies quam maxime jejuna atque insipida visa est. Phidias autem, insignem victoriam reportavit *). Patet hinc etiam, quod obiter adnotem, quam considerate loquantur, qui Phidiam praeter rem in minutiis haesisse fingunt [39]. In ipso Jove, de quo loquimur, similia quaedam evenisse, patet ex LUCIANO [40]. At ne quis nos

*) *Quippe qui esset in Opticis et Geometricis versatissimus*, ut dicit TZETZ. l. l.

39) Quod multi fecerunt; at Plinius de Phidia loquens: *aequalis magnificentia illi et in parvis.* l. XXXVI. c. 5. conf. Quint. de inst. orat. l. II. c. 3.

40) Luc. pro imaginibus p. 38. ed. bip. Tom. VI. Verba LUCIANI, quae huc pertinent, haec sunt: *Φειδίαν — στάντα κατόπιν τῶν θυρῶν, ἐπακούειν τῶν αἰτιωμένων — ᾐτιᾶτο δὲ ὁ μὲν ῥῖνα, ὡς παχεῖαν, ὁ δὲ ὡς ἐπιμηκέστερον τὸ πρόσωπον, ὁ δὲ ἄλλος ἄλλο τι. εἶτ' ἐπειδὴ ἀπηλλάγησαν οἱ θεαταὶ, αὖθις τὸν Φειδίαν ἐγκλεισάμενον ἑαυτὸν ἐπανορθοῦν καὶ ῥυθμίζειν τὸ ἄραλμα πρὸς τὸ τοῖς πλείστοις δοκοῦν.* Quae certe non nisi de optica intelligi possunt, quam Phi-

narrationibus nimium tribuere credat, exponam, quae ipse expertus sum, unde istis summa fides accrescet.

dias non mathematice noverat (utpote quae non nisi multis post eum annis inventa sit. Vide tamen not. 37.) sed ex usu judiciisque hominum colligebat. Nam credere, summum artificem vultus humani proportiones ignorasse, statuamque *πρὸς τὸ τοῖς πλείστοις δοκοῦν* effinxisse, opprobrium foret. Concidunt igitur magna ex parte, quae WIELAND in notis ad versionem Luciani, et VÖLKEL l. l. p. 147. huic narrationi opponunt, quam ut fictam rejiciunt. Ceterum Lucianus hoc exemplo rhetorice tantum utitur, ita ut verba quaeque et ornamenta, exempli gr. Phidiam se occultasse, et similia, non nimis urgenda sint. Quae tamen optime admittunt, historiam ita se habuisse, uti nos eam accepimus. Quod autem attinet *τὸ τοῖς πλείστοις δοκοῦν*, vide quomodo Polycletus, artifex Phidiae non comparandus (Quint. l. XII, 10. *non explevisse Deorum auctoritatem videtur*) judicia vulgi facete irriserit. Apud Aelian. Var. Hist. l. XIV. c. 8.

Visuntur Romae in colle Quirinali [41]) duo colossi marmorei, artis graecae, 18 circiter pedum altitudine [42]), basibusque excessim insistentes, qui equos frenis compescunt. Sunt tanta pulcritudine, ut omnibus artium monumentis, quae Romae nunc exstant, jure praeferantur [43]). Alter *), quem ex inscriptione recenti [44]) Phidiae assignant, forsan pro eodem colosso haberi

[41]) Qui nunc ob ipsos hosce colossos Monte Cavallo dicitur.

[42]) 25 palmor. Roman. quorum $1\frac{1}{2}$ pedem aequant.

[43]) Audio Regem Bavariae, qui artium amorem, ceteris egregiis suis virtutibus, velut decus quoddam et ornamentum conjungit, hos ambos colossos maximo sumtu gypso curavisse formandos.

*) Qui est sublimior, vel quasi severior; cum alter ille, quem Praxiteli assignant, venustate praestet.

[44]) Volunt, basi quoque antiquae hoc idem nomen fuisse insculptum.

posset, quem Plinius ab hoc artifice factum Romae exstare refert [45]), nisi is ex aere fuisse videretur, et ex eodem Plinio constaret, Polycletum primum fuisse, qui, ut uno tantum crure insisterent signa, excogitarit [46]). His autem et in forma maximus decor, et in motu, quamvis incitato, summa concinnitas. Horum unius cum artifex, nostri temporis forsan optimus [47]), mensuras capere vellet, ut iis ad Martem, quem effingeret, uteretur, ascendit basin, et enisus in altum, virgas applicuit marmori. Maxima autem admiratione affectus est, cum videret, quo magis statua assurgeret, sensim accrescere dimensiones, subtilissimo progressu, quae circa humeros la-

45) Plinius H. N. l. 34. ubi loquitur de signis ex aere ductis.

46) Plinius l. l. cap. VIII, 2. p. 650.

47) Thorwaldson Danus, a patre ex Islandia oriundus. Mirum est, virum indole hellenica quod artes attinet praeditum, e regionibus aeterno gelu obsitis originem trahere.

certorumque toros incredibile quantum exuberabant: Ita ut idem partium commensus, non nisi in statuis eadem magnitudine, basique consimili insistentibus, adhiberi possit. Interim e terra suspicienti nihil apparet, nisi summa venustas, omniumque membrorum incredibilis et divina quaedam concinnitas atque decor.

Nostri artifices, quod sciam, hucusque ne somniarunt quidem de tanta in oculorum erroribus compensandis diligentia. Quae ut e contrario melius illucescat, exemplum nobis haud procul petendum erit. Visebatur Cassellis Hassicis Landgravii cujusdam effigies colossea ex marmore, opus Nahlii, artificis inter nostrates haud ignobilis [48]). At quamquam ad ipsam naturam omnia di-

[48]) Nobilitatus epitaphio perquam ingenioso, quod apud Helvetios in vico Hindelbank, qui non longe a Berna distat, exsculpserat. Cum autem e lapide vilissimo factum sit, opus jam misere dilabitur.

ligentissime expresserat [49]), tamen belluam potius quam hominem finxisse videbatur: non ob aliam causam, quam optices negligentia. Ex altissima basi crura suraeque portentosi voluminis sustinebant corpus obesum; at quanto plus exsurgeret, eo magis dimensione deficiens: cui superadditum eminebat caput exile et minimum. Ita ut nihil invenustius atque distortius videri posset. Quod exemplum noti artificis eo potissimum attuli, ut inde veterum augeatur reverentia, quorum opera, quanto diligentius examines, tanto majorem admirationem incutiunt.

Propius rem nostram tangunt, quae inveniuntur apud *Vitruvium*. Sunt enim ibi praecepta de columnarum diversa mensura, prout vel in luce positae, vel umbratae sint [50]). Quas leges in aedificiorum reli-

49) Quod quidem Graecos, in totis saltem corporibus, haud credo fecisse unquam.

50) Vitruv. de archit. l. III. c. 2. p. 91. ed. Argent. *Etiam angulares columnae crassiores*

quiis summa diligentia observatas cum admiratione reperimus [51]). Neque architecta

*faciendae sunt ex sua diametro quinquagesima parte, quod eae ab aëre circumciduntur et graciliores esse videntur aspicientibus. Ergo quod oculos fallit ratiocinatione est exaequandum.* Ibid. p. 92. loquitur de crassitudine ob altitudinem, *quae scandentis oculi speciem fallit*, adjicienda; et l. IV. c. 4. 115. columnas, quae introrsus collocentur, graciliores faciendas esse: *In concluso aëre, si quae extenuatae erunt, non discernentur* et quae seq. Compara Stiegl. Arch. d. Bauk. (Weim. 1801. 3 Voll.) Tom. I. p. 229. 251. Delagardette ruines de Paestum tab. III.

51) Diligentia veterum in observandis iis et simul veritas legum ipsarum, quas Victruvius commemorat, clarius nusquam perspicitur, quam in porticu Agrippae ante aedem, quam vocant Pantheon. Quod enim ignis columnas adederat, eas ex una parte transposuerunt, ita ut columna interior in angulum promota sit. Quae nunc, quamvis ejusdem sit crassitudinis quam ceterae,

Romanus eas aliunde quam a Graecis hausit, ad quos omnium inventorum gloria revertitur. Eaedem enim leges jam observatae fuere in Parthenone Attico [52]), quod templum temporibus Phidiae ab Ictino et Callicrate [53]) exstructum est.

Miraretur forsan aliquis, si non hic columnae Trajanae mentionem subjicerem, quae, velut miraculum quoddam optices, per ora hominum celebratur [54]). E basi enim ex-

gracilior apparet. In altero autem angulo vetus columna remansit, quae justae mensurae esse videtur, cum tamen reliquarum modulum excedat — Quam parum recentiores architecti haec observaverint V. Stieglitz. l. l. 246.

52) Stuart Antiquities of Athens Vol. II. tab. 2.

53) Ictinum nominat Pausanias l. VIII. c. 41. Tom. 2. p. 480. et Strab. l. IX. p. 396. — Pro Callicrate Victruvius (praef. l. VII. p. 193.) Carpionem architectam fuisse perhibet.

54) Exsurgit in altitudinem 194 palmor. Ro-

currens ad capitulum usque fascia sculpta columnae circumducitur, Imperatoris victorias Dacicas exhibens, quae, sensim increscens, a terra suspicientibus semper ejusdem latitudinis esse videtur. Etiam figurae, quarum numerus prope fidem excedit, eandem semper proportionem servant. Verum est quidem, haec ita se habere; at cum iis comparata, quae de colossis in Quirinali memoravimus, pro nihilo ducenda sunt. Ceterum efficitur eadem fascia, ut altitudo monumenti vero minor appareat; immo ut columnae Antoninianae multum cedere videatur, quae tamen altitudine paullo minor est [55]; in qua similis fascia tortilis, bellum Marcomannicum continens, sed absque tali artificio, conspicitur.

Sed ut revertamur, unde digressi sumus: omnem jam dubitationem removisse

manor. (ped. 130.) Figurae, numero ultra 2500, praeter caſtella, pontes, equos, elephantos cet. sunt altae pedes duos.

[55]) Scapus minor est palm. 2.

videmur, quae de veterum optices imperitia vulgo increbuit. De Phidiae in hac re summa diligentia testes sunt columnae in Parthenone, quae etiamnum exstant; statuae in Quirinali, quas ipsi vidimus; narrationes tandem veterum, quas attulimus oculorum testimonio comprobatas. Audiamus igitur, quae de templo Jovis in Elide memoria prodidit.

Fuit id quidem, si quibusdam templis christianis comparatur, haud ita magnum [56]. Longitudine pedum 230, latitudine 95, altitudine 68 [57]. Situm erat in luco Jovis, qui Altis dicebatur, aedificatum ordine Dorico a Libone Eleo, non marmore, sed

[56]) Aedes St. Petri in Vaticano est longitudine pedum 730; aedes St. Pauli Londini 690; aedes Sophiae Constantinopoli 290. cet.

[57]) Haec et omnia, quae sequuntur, exstant apud Pausaniam l. V. c. 10. Tom. II. edit. Facii.

poro, lapide ejus regionis, circumdatum porticu (περιςύλῳ) et quidem octastylo periptero (octo columnis in fronte et postico, septemdecim utrinque a lateribus [58])) ornatum sculpturis ab Alcamene et Paeonio, illustratum statuis atque anathematibus [59]). De quibus omnibus loqui supersedeo, cum ad rem nostram nihil faciant *). Dignum tamen notatu, quam apte, etiam ornatu exteriore, loci majestas significabatur. Hanc nimirum esse domum summi Jovis, qui ludorum certamini praesidens, ex sua voluntate victorias largiretur. Erat in culmine Victoria inaurata, in fastigio prodomi certamen Pelopis cum Oenomao [60]), cui Jupiter ipse praesidebat; in opisthodomo pugna

[58]) Vid. Völkel l. l. p. 33.

[59]) Quae erant in pronao atque sub porticibus: Paus. l. l. cap. 12.

*) Si quis tamen curiosior, adeat Völkel et Siebenkees.

[60]) Opus Paeonii.

Lapitharum cum Centauris [61]); supra portas labores Herculis, filii Jovis, qui, ut fama ferebat, ludos Olympicos primus instituerat.

Cella duplici columnarum ordine utrinque sepiebatur porticu, vel potius dividebatur in partes tres, quarum media, ceteris ea spatiosior, haud dubie erat hypaethros [62]).

[61]) Opus Alcamenis, discipuli Phidiae.

[62]) Patet hoc tum ex comparatione cum Parthenone, qui eodem tempore iisdem fere dimensionibus exstructus est, fuitque hypaethros (v. Stuart. Tom. II.); tum ex columnis, quae intus erant dispositae, quarum Vitruvius non nisi in hypaethris mentionem facit; et ex ipsa magnitudine templi, quod absque hypaethro prorsus luce caruisset. Stuart (Vol. II. p. 5.) verba quoque Vitruvii l. III. c. I. in fine, ubi loquitur de hypaethro: *Hujus autem exemplar Romae non est, sed Athenis octastylos in templo Jovis Olympii*, septem codicum ope ita reposuit, *sed Athenis octastylos et in templo Olympio.* Quam lectionem Völkel, Stieglitz,

Istis columnis altera series innitens, graci-

Böttiger, cet. secuti sunt; editores autem Argentoratenses, nescio an consilio, veterem retinuerunt. Ita ut hinc quoque pateret, hanc aedem fuisse hypaethron. At nisi codices numero septem fuissent, correctio forsan improbabilior videri posset. Omitto, formam loquendi soloecam fore atque mancam; sensus quoque non omnino convenit. Vitruvius enim, postquam leges hypaethri exposuit, eum esse *decastylon* cet., pro more suo praecepta exemplis confirmat. At si templum Jovis, quod Olympiae fuit, nominasset, ambo fuissent octastyli (quod de aede Olympica ex ipsius dimensionibus optime probavit Völkel p. 33. secutus Stuartum Voll. II. p. 7.). Cum autem templum Jovis Olympii, cujus reliquiae Athenis visuntur, decastylos sit (Stuart Voll. II. tab. XXXI.): cur non potius hoc adduxisset? Credo igitur vel post vocem *octastylos*, vel in fine capitis, excidisse vocem, quae desideratur, *decastylos;* quod facillime fieri potuit, cum in hoc capite hae voces centies repetantur. Quae cum semel emigrasset,

lior et altitudine minor [63]), ordinis tamen et ea

illud *et* quoque, quod exempla jungebat, omissum est. Apponam integrum locum de hypaethris, cujus statim egebimus. *Hypaethros vero decastylos est in pronao et postico. Reliqua omnia eadem habet, quae dipteros, sed interiore parte columnas in altitudine duplices remotas a parietibus ad circuitionem, ut porticus peristyliorum. Medium autem sub divo est sine tecto, aditusque valvarum ex utraque parte in pronao et postico. Hujus autem exemplar Romae non est, sed Athenis octastylos* (forsan innuit Parthenonem ut credit Stuart) *et decastylos in templo Jovis Olympii.* Constructio: *exemplar est in templo,* occurrit saepius apud Vitruvium, ut eodem capite: *Hujus exemplar est in insula Tiberina in aede Jovis et Fauni.*

[63]) Vid. Stieglitz Tom. I. p. 229 seqq. *von der Übereinanderstellung der Säulen.* In Colosseo (Amphitheatro Flaviano) quadruplex ordo columnarum unus alteri innititur. Imus Doricus, secundus Jonicus, tertius Corinthius, cujus generis est quoque ultimus, atque sum-

Dorici, sustinebat tectum, efficiebatque porticus pensiles (στοὰς ὑπερῴους) quae longitudinem parietum sequentes, statuam propius aggrediendi copiam suppeditabant. Quicunque templa Paestana [64]) vidit, praecipue majus, quod hujus ejusdem structurae, etsi minore modulo, exemplar exhibet, facile confitebitur, in aedificiis nil certe sublimius cogitatione effingi posse, quam talem distributionem doricam [65]). Mentem ipsa simplicitas incredibili quadam majestate occupat.

Quod autem hypaethron attinet, id non eo sensu accipi velim, ut nullum omnino

mus qui tamen non columnis, sed pilis (vulgo pilastris) componitur.

[64]) Paestum, Posidonia, urbs Lucaniae, colonia Sybaritarum, quondam *odorati victura rosaria Paesti* (Prop. IV. 5. 59) celebratissima erant; nunc ne virgultum quidem oculos recreat.

[65]) Vide tabulas aen. ap. Fra Paolo *rovine della città di Pesto* et Delagardette *les ruines de Paestum* (1799.)

tectum fuerit; quamquam Stieglitz [66]) quoque et Böttiger [67]) rem ita accipiunt. Ne autem statua tanti pretii, tamque corruptibilis materiae, omninò sub divo sit, eam sub porticu interiori collocant [68]). Quod ego quidem mihi persuadere nequeo. Verba quoque Vitruvii, quae sola hypaethrorum rationem nobis conservarunt [69]), hunc sensum non ita flagitant, ut non et alio modo accipi possint. Dicit enim: *medium sub divo est sine tecto.* Si voluisset, omne spatium intra porticus interiores sub divo esse debere, dicturus esset haud dubie: *cella sub divo est sine tecto.* Praeterea talis distributio sanctitati locorum

[66]) Tom. II. p. 57 sqq.

[67]) Andeut. p. 94. Völkel p. 46. eandem sententiam sequitur, praeeunte Stuart. Item Galiani in vers. Vitr. et Fea Opere di W. Tom. 3. p. 485.

[68]) Völkel p. 50.

[69]) Integrum locum attuli in fine notae 62.

minime convenire videtur. Cetera enim templa non nisi per portas altissimas diem admittebant [70]), et cellae pars interior luminibus e lucernis et candelabris collustrabatur [71]); e quibus tam egregia exemplaria ad nostrum tempus pervenere. Scimus quoque id non tantum in minoribus sacrariis, sed in templis quoque Minervae Poliados Athenis [72]) et Jovis Capitolini Ro-

[70]) Fenestrae in templis si quo occurrunt, ista templa, vel non sunt temporum antiquissimorum, ut Vestae Tiburti (Tivoli), vel fenestrae postea sunt additae, ut in templo Concordiae Agrigenti (Riedesel p. 41.), vel non cellam, sed atrium sive fornicem quendam collustrant, ut in templo Minervae Poliados Athenis (Stuart Tom. II. tab. XV.)

[71]) Stieglitz Tom. I. p. 305. Tom. II. p. 119 sq.

[72]) Paus. l. I. c. 26. (Tom. I. p. 99.) describit lychnum aureum, palmae arboris speciem referentem, opus Callimachi κακιζοτέχνου. Vid. quoque Plinium l. 34. p. 641. ibique Harduinum. Strabo l. IX. p. 395. *Casaub.* de templo Poliados Minervae loquens: ἐν ᾧ ὁ ἄσβεστος λύχνος.

mae [73]) factum esse. Si igitur in hypaethris tale quidquam omnino diversum exstitisset, nonne Pausanias vel Strabo, vel alius quisquam in descriptionibus innumerabilium templorum, quorum multa haud dubie hypaethra fuerunt [74]), istius rei mentionem fecisset? At ne verbum quidem usquam occurrit. Manifestum est igitur, discrimen non tam immensum fuisse, quale foret inter cellam sub divo, et cellam lucernis illustratam. Immo vox ipsa *cellae* minime usurpari potest de loco qui sub divo est [75]), etiamsi recentiores omnes

[73]) CICER. in Verrem act. II. l. IV. (ed. bip. Tom. IV. p. 32-39.) *Candelabrum e gemmis clarissimis — cujus fulgore collucere atque illustrari Jovis Optimi Maximi templum oportebat.*

[74]) E. gr. aedes Minervae Aleae, quae fuit apud Tegeatas; ubi Pausanias duplicem columnarum seriem accurate describit, id templum autem hypaethron fuisse praetermittit. l. VIII. c. 45. p. 491.

[75]) Confer locos omnes, quorum plurimos adduxit SCHELLER s. h. v.

sine ulla haesitatione id sibi permiserunt [76]: cum tamen, si illorum ratio valeret, hypaethri cella omnino caruissent. Stuart quidem statuit, cellam in hypaethro aulaeis fuisse coopertam, et ita interpretatur locum Pausaniae de parapetasmate [77]; quem tamen parum accurate legisse videtur, ut mox apparebit.

Si autem meminerimus, quem in finem hypaethri facti sint, nimirum ne in nimia magnitudine [78]) templi, cella penitus luce

[76]) E. gr. STIEGLITZ. Tom. II. p. 28. 57.

[77]) PAUS. l. V. c. 12. p. 51.

[78]) Non nisi templa maximae molis hypaethra erant, quod ex ipso Vitruvio patet, qui tantum dipterus decastylus nonnumquam hypaethrus fuisse refert; neque templornm majorum ille mentionem facit, neque usquam reperiuntur. Scio quidem Parthenonem non esse nisi peripteron octastylon, et aedem Paestanam majorem, quamvis sit hypaethros, non nisi hexastylon. At ratio sic quoque valet; nam Parthenon, si adderetur altera

careret: clarum est, ad hoc efficiendum, satis fuisse, si in medio tantum cellae tectum perforaretur. Quod factum videmus in tholo Panthei, quod, tametsi maximum est, foramine rotundo *) in culmine tholi egregie collustratur; unde hoc templum vocatur hypaethron. In tholo, quem Polycletus, haud ita longe post Phidiae tempora, Epidauri exstruxit [79]), simile quid exstitisse, nemo dubitat. Quomodo enim, absque tali artificio, egregiae istae picturae [80]) Pausiae aliorumque aspici potuis-

porticus exterior, foret dipteros decastylos; templum autem Paestanum solito est longius. Cf. Stieglitz Tom. II. p. 29 cet.

*) Diametro palmor. Rom. 37½; cum diametrus interior templi, sicut et ejus altitudo, sit palmor. 194.

79) Pausan. l. II. c. 27. (Tom. I. p. 279.)

80) Pausanias etiam Athenis tholi egregii mentionem facit l. I. c. 5. p. 19. qui tamen statuis tantum ornabatur.

sent [81])? Credo itaque, etiam in templis formae quadratae, ὑπαίθρους eodem modo fuisse constructos; ratione habita convenientiae locorum et formae cellarum. Quod et locus Vitruvii optime admittit, et ratio flagitare videtur.

Si quis tamen aliter sentit, opinionemque vulgatam de hypaethris retinendam censet; in aede quidem Olympica rem ita fuisse comparatam, ut diximus, in propatulo est. Neque vel sic obstaret locus Vitruvii. Notum est enim, quam raro templa antiqua cum illius praeceptis conveniant; hypaethrum autem ne unum quidem inveniri, qui ejus descriptioni penitus respondeat [82]). Strabo, de hoc

[81]) De tholis vide praeterea lexicographos, Pollucem l. VIII. s. 155. Hesychium et Suidam s. h. v. et Meursium Ceramic. cap. 7. ubi occasione tholi Attici ingens citationum congeries.

[82]) Conf. Stiegl. Tom. II. p. 29. ubi nominat

templo loquens [83]), quod dicit fuisse maximum, non solum tectum nominat, sed etiam judicium profert, quod quocunque alio modo imaginemur, absurdum foret. Locum integrum apponendi statim occasio erit, ubi de statua agetur; quae huc pertinent, haec sunt. *Statua*, inquit, *vertice tectum prope tangit* (ξόανον ἁπτόμενον σχεδόντι τῆς ὀροφῆς); *si surget, templum tecto nudabit* (διαναστὰς ἀποστεγάσει τὸν νεών). Haec non intelligi possunt de operculo obducto, vel de porticu, subter quam Jupiter caput demiserit. PAUSANIAS non tantum scalarum, quae in tectum conducebant mentionem injicit, (ἄνοδος ἐπὶ τὸν ὄροφον σκολιά [84])) sed loquens de velo vel parapetasmate, quod statuae

ὑπαίθρες quinque, quorum reliquiae adhuc manent: *templum Paestanum majus, Jovis Olympii Athenis, Parthenonem ibidem, Jovis Panhellenii in Aegina, et quintum Selinunte in Sicilia.*

[83]) STRABO l. VIII. p. 353. ed. Paris. 1620.

[84]) PAUS. L. V. c. 10. in fine (*scala tortilis, cochlea*).

protendebatur[85]) (aër enim subhumidus Alteos ebur adedebat[86])) τῦτο, inquit, ὀυκ ἐς τὸ ἄνω τὸ παραπέτασμα πρὸς τὸν ὄροφον, ὥσπερ γε Ἀρτέμιδος τῆς Ἐφεσίας, ἀνέλκουσι, καλωδίοις δὲ ἐπιχαλῶντες, καθιᾶσιν ἐς τὸ ἔδαφος[87]) (*id velum non sursum ad tabulata attollunt, sed in pavimentum trochleis demittunt.*) Ceterum neque ὄροφος, neque ἔδαφος, de loco dici possunt, qui sub divo est. Nil addo de κεράμῳ λιθίνῳ[88]); satis sit testimoniorum.

85) Simili modo opera pretiosiora in ecclesiis Romanis velis protensis conservantur.

86) Paus. l. c. cap. XI. p. 49 ubi sermo est *de oleo, quod circa statuam effundebatur*, addit: μὴ γίνεσθαι τῷ ἐλέφαντι βλάβος διὰ τὸ ἑλῶδες τῆς Ἄλτεως.

87) Paus. l. l. c. 12. p. 51.

88) Templum Jovis Olympii non tegulis, sed plinthis e marmore Pentelico obductum erat: κέραμος ὀυ γῆς ὀπτῆς ἐστιν, ἀλλὰ κεράμου τρόπον λίθος ὁ Πεντέλησιν εἰργασμένος. Inventum Byzae Naxii: Paus. l. l. p. 40. Nonne Pausanias saltem hoc loco, ubi fuse de tecto plinthisque loquitur, verbo mentionem subjecisset, porticus tantum tecto esse ob-

Omne enim punctum tollitur, si meminerimus, quae in aede Paestana majori, quae sola hypaethros est, cujus columnarum superior ordo adhuc maneat, aspiciuntur. Exstant enim foramina, vel incisurae, quibus cantherii immittebantur, qui tecti plinthos sustinebant; et quae jam virum diligentissimum, Delagardette, in opinionem induxerant, illud templum tecto fuisse obductum [89]). Templum autem neque hoc, neque Olympicum penitus fuisse opertum,

ductas (περίςυλον illam et ςόας ὑπερῴας), nisi res aliter se habuisset?

[89]) Delagardette *les ruines de Paestum (à Paris an* XI. (1799.) fol. roy.) tab. III. — Stieglitz (l. l. p. 29.) contra testimonium oculorum, ei opponit, haec tantummodo tecto porticus sustinendo inserviisse; cum istae incisurae non tantum in parietibus lateralibus, sed in faſtigiis quoque appareant, et quidem a parte interiori: ubi quid aliud, nisi tectum, isti cantherii vel potius *trabes*, sustinere potuerint, haud assequor. Praeterea fastigium et ipsi parietes columnis multo altius assurgunt. Vid. saltem tabb., quae tomo primo operum immortalis Winkelm. (ed. Dresd.) ex editione Feae (Tom. III.) adjectae sunt.

sed hypaethron (ita nempe, ut in medio tecto esset apertura, cum forma cellae conveniens) apparet, tum ex duplici columnarum ordine, quem Vitruvius non nisi in hypaethris commemorat *); tum ex ipsa magnitudine templi, quod lugubre et tenebricosum fuisset; tum denique, in templo Olympico, ex picturis, quas Strabo pulcherrimas ibi exstitisse refert 90); et quae non lucernarum lumine, sed diei, aspiciendae erant.

Haec satis de templo (atque vereor, ne justo longius morati simus) videamus de statua.

*) Vid. ſupra Not. 62.

90) γραφαὶ τε πολλαί τε καὶ θαυμαςαὶ περὶ τὸ ἱερόν (Str. l. c. paullo post) opera Panaeni. Alias tamen innuere videtur, quam quae Pausanias in *sepimento* (ἐρύμασι), quod thronum circumdabat, ab eodem artifice depictas exponit. Paus. l. l. cap. XI.

---

Quod reliquum est opusculi post breve tempus prodibit.

# THESES.

1) *Veteres pictura aeque ac sculptura excelluerunt.*

2) *In rerum natura non datur infinitum.*

3) *Cicero orator fuit major quam philosophus.*

4) *Leges Lycurgi Graeciae maximum attulere damnum.*

5) *Carmina Homerica ante reditum Heraclidarum condita sunt.*

6) *Graeci Romanos etiam in artium operibus publicis superarunt.*

# CORRIGENDA.

---

Pag. 8. lin. 3. pro dignoscere poterant, lege: perspectum habebant.

— 22. — 4. pro excessim lege: excelsis.

— 44. not. in fine pro depic-tas, lege depi-ctas.

---